DE
FAVI PATHOLOGIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XV. MENSIS IUNII A. MDCCCXLVII

PUBLICE DEFENDET

GUILELMUS HENRICUS SCHLECHT

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

FR. BECHEN, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
FR. GELLER, MED. ET CHIR. CAND.
I. SCHLEGEL, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

FORMIS F. P. LECHNERI.

MDCCCXLVII.

AVUNCULO DILECTISSIMO CARISSIMO

AC SUMME VENERANDO

GUILELMO HENRICO SCHLECHT

DECANO RURALI, PAROCHO IUBILARIO IN PAGO GROSSBÜLLESHEIM

EQUITI AQUILAE RUBRAE TERTIAE CLASSIS.

PIO GRATOQUE ANIMO

HASCE STUDIORUM MEDICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

Prooemium.

Saepenumero mihi meditanti, quaenam potissimum res tractanda esset eligenda, tam multa ad elaborandum apta studioque meo blandientia ante oculos versabantur, ut diu multumque materiam hancce, favi pathologiam, penitus perlustrare dubitaverim. Quippe quae non solum a multis viris doctissimis atque peritissimis est tractata, verum etiam huicce rei, quae ex uno illorum ad eius naturam atque indolem explorandam omnem operam omnemque diligentiam navantium consensu ad partes medicae artis maxime obscuras atque difficiles pertinet, novi quidquam afferendi tempus ac vires me defecerunt. Attamen nihilominus praetermittere non potui, quin illam materiam aggrederer, quippe eam quam accuratissime copiosissimeque inquirendi cognoscendique optima mihi data est opportunitas. Nam quum per unum annum in illis scholis Bonnensibus, in quibus parvuli pauperum liberi nutriuntur atque educantur, dulce curae medicae munus suscepissem, multos liberos favosos observandi atque curandi satis superque magna fuit facultas. At hic sane libris tradita minime cum eo, quod accurata et continua observatio atque experientia me docuit, consentire videri multa inveni. Etiamsi multa eadem-

que singularia favi specimina observationi meae semper se praebuerunt, tamen vero, quae fideliter et omni, qua par est, religione inquisivi atque exploravi, nondum in lucem ederem, nisi ad summos honores, qui sunt medicis, assequendos, ut dissertationem inauguralem conscriberem, necesse fuisset. Quum igitur fieri non possit, ut meum nonum in annum prematur opusculum, ex te, lector, animo benevolo id accipias petam, quod experientia maiori diligentiaque continua melius atque perfectius tibi offerre possim.

Si quid lucis in hisce pagellis favi pathologiae attulerim, valde sum contentus; sin autem, quod bonum utileve haberi possit, nihil inveniatur, multum abest, ut non contentus sim, quum illam rem denuo tractandam pro me suscipere operae pretii aestimaverim.

Vale lector, studiisque meis fave.

CAPUT PRIMUM.

Introductio in favi pathologiam.

Quamquam iam ab antiquissimis temporibus usque ad nostram aetatem viri summo ingenio summaque eruditione atque diligentia praediti morbis cutaneis penitus accurateque perlustrandis atque naturae eorum indagandae maximum studium summamque operam dediderunt, tamen magna eorum multitudo, varietas, causarumque obscuritas, et, quae inde nascitur, sanandi facultas large ac pellucide declarant, difficultate plenam operosamque adhuc esse illorum cognitionem atque distinctionem, quum formae externae, quas Schoenlein atque Fuchs dicunt fructus, papulae, vesiculae pustulaeve tempore, indole benigna malignave atque aliis causis diversissimis multimodis ita commutentur, ut hisce formis maxime diversis saepeque etiam similibus medici vel peritissimi saepissime decipiantur. Unus idemque deinde morbus cutaneus, ut experientia quotidie docet, superveniente morbi alius materia nec non pro aetatis, virium, sexus, plagae coeli vitaeque ratione diversa, aliam aliamve indolem induit, vel in alium planum morbum transire videtur. Quibus rebus adde, a plerisque auctoribus vagis ac non constantibus nominibus accuratam illarum eruptionum diagnosin incertam atque difficillimam esse red-

ditam. Postremum ad difficultates plane implendas non solum omnibus tironibus, verum etiam plerisque fere medicis practicis contingit, ut omnes cutis morbos vel in nosocomiis vel in privata praxi videre simulque ita observare atque inter se comparare possint, ut omnes perspiciantur atque dignoscantur.

Quam ob rem ad morbos cutis plane dignoscendos singula genera secundum causas internas atque cutis conditiones cum aegritudine coniunctas accurate ac distincte discerni, eorumque species exactissime definiri atque describi prorsus necessarium esse videtur. Principium dividendi si respicimus, omnes fere auctores e symptomatum complexu formaque externa sumpserunt, illorum, qui plantas omnes animaliaque in classes et genera dividere enisi fuere, botanicorum atque aliorum naturae indagatorum exemplum imitantes. Qua igitur ratione exorta sunt Plenkii, Willani, Batemani, Aliberti, Struvei systemata. Attamen illi viri, ni fallor, quantum planta vel animal distet a morbo, parum considerarunt. Est enim in vegetabilibus vel animalibus perpetua neque mutabilis singulorum ad unum idemque genus pertinentium externa forma, qua paucis verbis exprimi atque exhauriri potest, quod alterum genus ab altero differat. Morbi cutanei autem, quum et in momenta sint mutabiles et aliam deinceps et aliam formam induant, revera quidem non e simplici definitione et forma externa, sed ex organismi conditione nec non e vitali cutis natura indoleque perfecte cognosci possunt. Secundum illam dividendi rationem multa genera, quippe quae, exemplo utar liceat, ut in Eczemate atque Scabie, quo gradu vel minus vel magis cutis irritabilis est irritamentumque ipsum minus aut maius fuit, eo

gradu modo vesiculae modo pustulae conspiciuntur, dissolvantur necesse est. Tum saepissime fit, ut nonnullae eruptiones papulosae morbo longe durante in squamosas, quin etiam in pustulosas formas transeant. quo igitur modo Lichen et simplex et circumscriptus in Psoriasin transit, Lichen agrius et Purigo senilis easdem pustulas, quas Impetigo, saepenumero ostendunt. Quibus rebus bene cognitis illa systemata, quanquam laudanda, tamen cum iure aboleverunt et ad usum medicum non apta videntur.

Surrexerunt deinde alii viri, qui cutis conditionem magis respiciebant, quibus Plumbe, Reil, Rayer, Cazenave et Schedel, alii adnumerandi sunt. Mihi habeo persuasum, illis scriptorum conaminibus morborum cutaneorum et cognitionem et sanationem magnam cepisse utilitatem. Sed multa optanda restiterunt. Nam quod in cute externa vides, est aegritudo, non morbus ipse. Semper autem medici propositum, ut morbum et cognoscat et sanet. Hisce rebus bene perspectis Nasse[1]) illas aegritudines ad internas conditiones reduxit, ita ut oriantur genera duo:

a) verae functionis turbationes. Quod genus amplectitur has ordines:

α) irritationem; β) irritabilitatem cutis adauctam; γ) torporem; δ) inflammationem.

b) degenerationes cum functione turbata, has ordines comprehendentes:

α) cutis degenerationes sine forma externa mutata; β) dyscrasias; γ) productiones abnormes.

Quam dividendi rationem multo meliorem atque

1) Versuch einer praktischen Eintheilung der Hautkrankheiten. Berlin 1834 S. 41 ff.

utiliorem, quam omnes praecedentes, arbitror, quum, quod medico practico gravissimum est, omnes indicationes therapeuticas clàre indicet. Irritatio enim, si adest, moderetur necesse est; torpor, indicata sunt irritantia. Quo modo in conditionibus ceteris curandum.

Ad genera secundum has ordines distinguenda forma externa cum cutis conditione coniungenda est. Exemplo uti liceat: irritabilitatem adauctam cutis adducere volo. Primum genus vesiculas exhibet exortas per externas vel internas causas et irritamenta. Est Eczema. Secundum exhibet vesiculas vel saepe pustulas exortas per acarum. Est Scabies.

Quibus rebus breviter consideratis si ad capitis eruptiones oculos vertamus, annis procedentibus quamvis observationes et experientiae sese accumularent, earum cognitionem, quo plures opiniones et sententiae de iisdem ferrentur, quo maiori studio res inquirerentur, eo turbatiorem et confusiorem factam esse inveniemus. Genera enim ac nomina speciesque neque definita neque accurata neque certa sunt, ita ut multa ad singulas species in scriptorum libris reperiendas studia sint adhibenda. Sub nomine »Tinea sive Porrigo« ab omnibus fere scriptoribus omnes capitis eruptiones comprehensae sunt. Vocabulum »Tinea« a Sauvages pro Porrigine in pathologiam receptum prorsus ignotae originis est. Nemo ex scriptoribus revera, quid significet, scit. Lorry [2]) de vocabuli »Tinea« origine haec affert: »si Avicennae credamus, ab humore melancholico causam accipit, cutem corrumpit atque corrodit, haecque est alvathim, a quo nomine barbari, ut vide-

2) De morbis cutaneis. Paris 1777. pg. 463.

tur, thim et thineum et tineam fecerunt.« I. P. Frank[3]) certam significationem non adducit, sed nomen barbarum esse censet. Nomen „Tinea" itaque, quum quaeque certa significatio desideretur eique omni auctoritate desit, e pathologia reiiciendum est.

Porriginis definitiones tot variae et flexibiles, quot sunt, qui de eadem scripsere. Vocabulo »Porrigo» Celsus[4]) non solum ad humidas et purulentas sed etiam ad aridas et squamosas capitis eruptiones significandas utitur ita definiens: »Porrigo autem est, ubi inter pilos quaedam quasi squamulae surgunt, eaeque a cute resolvuntur et interdum madent, multo saepius siccae sunt. Idque evenit sine ulcere, modo exulcerato loco, huic quoque, malo odore, modo nullo accedente. Fereque id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio.«

Quam Celsi interpretationem secuti sunt Willan et Bateman. Secundum Lorryum Porrigo et Pityriasis aequalem vim habent significantque solam capitis furfurationem. Apud graecos auctores Alexandrum Trallianum[5]) et Paulum Aeginetam[6]) vel squamosas vel furfuraceas exfoliationes cutis sine ulceratione Pityriasis significat. Qua ratione omnes optimi auctores nomine »Pitiryasis» utuntur.

J. P. Frank[7]), quo nemo ingeniosior, hancce definitionem affert: »Porrigo hinc erit, cum epidermis a cute aspera nunc furfuris nunc squamularum sub specie, prae-

---

3) De curandis hominum morbis. Tom. IV. p. 132.

4) A. C. Celsi Medicina: Ediderunt F. Ritter et H. Albers. Coloniae ad Rhenum 1835. lib VI. 2.

5) Lib. I. Cap. IV.

6) Lib. III. Cap. III.

7) De cur. hom. morbis. Tom. IV. §. 413.

vio plerumque pruritu, citra manifesta vel phlogosin vel papulas vel vesiculas vel ulcuscula copiose resolvitur, et pellem nunc siccam nunc acri vel et foetido humore madentem, subtumidam nunc pallidam nunc ex luteo rubescentem denudat.«

Struvei[8]) definitio haec est. »Tinea sive Porrigo proponit morbum chronicum interdum contagiosum, in pueritia plerumque erumpentem, in aetatem iuvenilem interdum protractum, rarius apud adultos excultum, per annos plerumque igitur perseverantem, in parte capillata capitis cum eruptione pustularum, quos achores et favos vocant, sese excolentem. Pustulae humorem viscidum, pruriformem effundentes in psoram abeunt, nec raro pili destruuntur.»

Plures definitiones enumerare, longum est. Quae omnes, si eas inter se comparare velimus, tam diversae sunt, ut nullum morbum certum designare possint. Aegritudo et morbus ab omnibus fere scriptoribus commixta sunt. Nomen »Porrigo«, quod prorsus non extinguamus, totam eruptionum capitis familiam, ut nostrum: »Kopfausschlag«. significet. Hac ratione J. P. Frank ad morbos cutis chronicos designandos nomine »Impetigo« usus est; sed non apte. Nam Impetigo signat apud Celsum[9]) eruptionem pustulosam; quam significationem plerique scriptores, ut Rayer, Cazenave et Schedel, Struve, Nasse receperunt. Quibus rebus perspectis et perpensis omnes capitis eruptiones sive porrigines in accurata et bene definita genera speciesque dividendi periculum facere liceat. Genera sunt haec:

---

8) Dr. L. A. Struve. Synopsis morb. cut. Clas. XI. gen. I.
9) Cf. lib. V. 205, 31.

a. Eczema. Est plerumque irritabilitas cutis adaucta (Ezema simplex), rarius cutis inflammatio (Ecz. rubrum) coniuncta cum pustulis intermixtis apparens (Ecz. impetiginoides, Crusta lactea, Teigne muqueuse, Porrigo larvalis). Eczema fere semper est morbus benignus, criticūs, (Tinea benigna) neque unquam cum morbo constitutionali coniuncta. Causae internae sunt: male concocti et constituti et graves cibi, sordes gastricae, summa nutrimentorum abundantia, irritamenta externa.

b. Pityriasis. Est torpor atque cutis atonia saepius coniuncta cum irritatione exorta e parvulis squamis. Squamulae nunquam crustas formant; neque ulcera neque rhagades observantur. Prima species: ubi torpor merus (P. capitis), quia vulgo in fronte, occipite vel sincipite observatur; secunda: ubi levis cutis inflammatio (P. rubra); tertia: ubi diversus color adest (P. versiculor); quarta est P. decalvans, quae ab omnibus auctoribus generi »Porrigo« adscripta est. (Porrigo decalvans, Tinea decalvans; Teigne tondante). In hac specie squamulae sunt minimae. Lorry[10]) dicit: »Die von den Haaren entblösste Haut war glatt, trocken und dünstete nicht aus, sie glänzte und war zart anzufühlen. Nach wenigen Tagen war sie mit Schuppen bedeckt.« Sunt enim maculae rotundae, laeves, saepe splendidae, siccae et capillis denudatae. Pili semper dilabuntur, maculae dilatantur. Squamulae similes tritici farinae. Causae internae non plane notae. Scriptores organorum abdominalium atque sexus perturbationes, plethoram abdominalem, hepatis affectiones, secretionis bilis perturbationes, menses vel suppressos vel irregulares et alia afferunt.

10) l. l. p. 390.

c. Impetigo. Est cutis inflammatio cum pustularum psydraciarum eruptione. Secundum Rayerum atque Biettum duae sunt species: I. figurata, ubi pustulae confertae apparent, et I. sparsa, ubi singulae pustulae in cute oriuntur. Ceterae species, I. scabida, rodens, erysipelatosa varietates tantummodo sunt.

d. Favus. Cuius accuratiorem distinctioremque definitionem atque descriptionem coelo favente proponere conemur. Primum igitur de favi symptomatis, tum de eius speciebus, deinde de observationibus Grubianis atque Schoenleinianis atque de favi contagione nec non de sanguine disputavi.

CAPUT SECUNDUM.

De Favi symptomatologia.

Inter omnes scriptores, qui de favi natura investiganda enisi fuere, ex omnibus, quibus cutis humana affligatur, morbis neque ullum aetati iuvenili periculosiorem neque perniciosiorem neque terribiliorem, quam favum, inveniri, iam longe constat; nam, ut experientia quotidie docet, morbus per annorum seriem, remediis aptis atque efficacissimis non adhibitis, tantos facit progressus, ut tandem aut fere plerique aegroti maturius seriusve succumbant, aut, si pauci fortasse ab eo fiant liberi, crinibus dilapsis ita sint deformati, ut prorsus societatem humanam effugere debeant.

Vocabulo »Favus« scriptores romani et ad singulas cellulas et ad totum discum designandum, in quibus apices mel vel ceream deponunt, usi sunt. Ex harum cellularum similitudine quadam cum iis crustis, quae in liberorum capitibus deprehenduntur, morbus hocce nomen accepit. Si vocabulum »Favus« in nostrum sermonem transferimus, nomen »Erbgrind« aptissimum mihi videtur, quippe quod huius mali tum pertinaciam tum hereditatem optime exprimit.

Favus ab omnibus fere, qui de morbis cutaneis disseruerunt, scriptoribus, in illas notas Batemani octo classes enumeratur; quod mihi quidem a veritate discedere videtur, quippe qui et in oriendo et in dilabendo neque papulas neque pustulas, neque bullas, neque vesiculas, neque squamas proferat. Quam igitur rationem Plenk, Bateman, Lorry, Plumbe, Biett, Cazenave et Schedel, Rayer aliique secuti Favum inter eruptiones pustulosas ponendum esse censuerunt. Sed quisque, qui diligenter et attente favi originem expendit, favum minime pustulas exhibere, mox clare atque perspicue intelliget. Quam ad quaestionem diiudicandam vera atque accurata definitio, quae sit pustula, praeponatur necesse est. Celsus [1]) pustulas nominat omnia, quae similia sunt iis, quae ex urtica vel sudore nascuntur. Secundum quem virum nullum discrimen est inter pustulam et ἐξάνθημα [2]). Sed scriptores recentiores [3]) hanc definitionem non admiserunt, sed nomine »pustula« ad eas eruptiones, quae in apice suppurantur vel in pus

1) lib. V. cap. 28. pg. 204.

2) lib. V. cap. 28. §. 15, 8.

3) cf. Carol. Lin. morb. class. XI ord. IV. Bateman herausgegeben von Blasius pg. 187 u. ff. Rayer pg. 215.

abeunt et itaque quasi pus ferunt, designandas usi sunt. Est igitur pustula plerumque parva, rotunda, regularis epidermidis a rete mucoso seiunctio, quae ex inflammatione originem ducit atque cum stigmate incipit. Stigma, si maior redditur, fluido, lympha turbida vel purulenta vel vero pure impletur, quod exsiccat atque crustam format. Quis est, qui in favo genuino epidermidis seiunctionem a rete mucoso, aut lympham turbidam vel mehercule verum pus viderit? Pustula e cutis inflammatione semper oritur: exsiccat et decidit. Nunquam in favo cutis inflammationem primariam, nunquam pustulas exsiccantes neque crustas decidentes vidi. Pustula habet decursum acutum, non habet favus. Favus, ut demonstrabo, est morbus folliculorum piliferorum, et itaque morbis radicum capillorum adnumerandus. Est morbus cutis capillitii, qui plerumque adest sed saepe deest, secundarius tantum morbus, quum capillis extractis cutis facile convalescat [4].

Favus, quum oriatur, parvum, rotundum, duriusculum, luteolum lenti simile corpusculum, quod in bulbi sacculo circa capillum existit satisque celeriter per omnes partes manat latius atque magno adaugetur incremento, observatur. Priusquam hoc parvum corpusculum videri potest, aegroti magnum pruritum, qui, quod materia favosa in bulbi sacculo deposita irritamentum irritationem provocat, nascitur, in capite saepe sentiunt. Quo tempore saepissime capilli dilabuntur, qui, quum radix demortua, soluti cuti inhaerent. Capilli ipsi laxi, fragiles, colorisque clarioris

4) cf. Plumbe: Praktische Abhandlungen über die Hautkrankheiten. Weimar 1825, pg. 36.

sunt. Quomodo crustae existant, inferius exponam. Crustae sunt lucide flavae, siccae, fixe adstrictae, rotundae, cum impressione centrali (en godet) dispersae vel confertae, margine prosilientes et sublatae (à bords saillants et relevés) [5]. — Quodsi favus ita constructus atque conformatus, quominus succrescat, aliis favis eum circumdantibus non prohibetur, ideoque formam illam naturalem accipere potest, non dissimilis cancri lapillo, qui dicitur, quum in superiore parte quasi cavatus aut infundibiliformis, si colorem respicis, luteolus, inferiore proxime a cute convexus et subluteus inveniatur. Quae forma favo propria, si omnibus fere in singulis favis deprehenditur, tum haec est ea species, quae a medicis: Favus disséminé (Rayer); Porrigo favosa (Alibert, Cazenave et Schedel); Porrigo lupinosa (Bateman); Scabies capitis lupina (Plenk); Tinea lupinosa (Astruc, Sauvages) nominata est.

At multi favi [6]) uno tempore orientes in spatium contracti arcteque compressi parvum, quum tangendis partibus sese premant et reprimant, quo fit, ut illa forma primaria propria naturalisque sensim discedat neque materia, nisi luteola, friabilis, dura, quae vel ubique cuti insidit vel capillis adhaerescit vel capillis perfoditur, appareat, ad certam quandam perveniunt magnitudinem, et, quominus dilatentur et succrescant, prohibentur. Quo semper fit, ut nullo nisi quo loco singuli favi aliis, qui circa sunt, non prohibentur, quo-

---

5) Traité théorique et practique des maladies de la peau etc. par P. Rayer. Troisième édition. Bruxelles 1836. pg. 212.

6) cf. Rayer pg. 214; Cazenave et Schedel: Abrégé practique des maladies de la peau etc. Seconde édition. Bruxelles 1834. pg. 105.

minus crescant, id quod in extremis morbo infectis partibus inveniamus necesse est, favus ipse vel saltem segmentum eius forma illa naturali ac propria nobis occurrat. Haec forma ex morbo prorsus neglecto oritur. Species haecce a scriptoribus aeque ac supra descripta diversissimis nominibus designata: Favus en groupes (Rayer). Porrigo sive Tinea scutulata vel scutiformis (Bateman, Cazenave et Schedel); Teigne granulée (Alibert); Achores seu scabies capitis (Plenk); Ringworm of the Scalp. (Anglici).

Quamquam ad rem nostram non magni est momenti, utrum illae favi species descriptae hoc an illud nomen gerant, tamen unum eligere nomen opus esse videtur; quamobrem primam speciem »Favum dispersum«, alteram, »Favum confertum« dicamus.

Quibus duabus supra laudatis »Favo et disperso et conferto«, speciebus exceptis Fuchs [7]) in libro excellentissimo de morbis cutaneis duas favi species novas »Favum achatinum et F. suberinum commemoravit. Quae vero species, quum non abeant in diversa, ad illas formas reducendae sunt. Fuchs favum suberinum ita depinxit: »Primo tempore parvae, dispersae pustulae, quae mox adaugentur, deprehenduntur. Haec species, quod pustulae quam Favi dispersi et conferti maiores sint atque singulae oriantur, ab illis dictis speciebus facile distingui potest. Pustulae illae, quum aruissent, planas, sulphureo-flavas crustas exhibent; quae brevi post tempore adaugentur, saepissimeque tres vel quatuor pollices in transversum habent. Saepe supra cutis superficiem tres usque ad sex lineas eminent. Sunt rotundae cum impressione

7) Die krankhaften Veränderungen der Haut und ihrer Anhänge etc. Göttingen 1840 u. 41.

in media parte, quam ob rem superficies infundibiliformis apparet. Paulatim crusta, quum semper magis magisque arescat, quercus suberis cortici similis redditur; raro sponte decidit, et, quum detrudatur, rotundum, scrofulosum ulcus, quod brevi post tempore nova materia favosa plane impletur, conspicitur. Fuchs hanc favi varietatem in duobus casibus, tum in parte capitis capillata, cum simul et in dorso et in cruribus, sese observasse tradidit.

Pustulae atque Favi achatini crustae sunt secundum Fuchsium iis Favi conferti simillimae, colore crustarum superficie excepto. Quot enim diversos colores lapis achates, tot Favi achatini crustae exhibent.

Quae igitur species, quippe quae leves specierum supra laudatarum varietates, aut raro, aut nunquam observantur, reiiciendae sunt. Neque enim ullum auctorem, qui eas species attulerit, invenio.

Quod ad sedes, favus plerumque in capillitio et in occipite conspicitur. Quibus e locis ad frontem et tempora, ad nucham usque ad crura antibrachiaque descendit. Alibert[8]) nobis duas observationes, quibus totum corpus crustis favosis obductum erat, tradidit. Rayer[9]) puerum annos duos natum crustis favosis tota trunci parte posteriore usque ad cura atque genua antibrachiaque obtectum vidit. Cazenave et Schedel[10]) casum quendam, ubi etiam manus obductae erant, maxime memorandum tradiderunt. Raro favus de capite ad alias corporis partes descendit,

---

8) Baron Alibert's Vorlesungen über die Krankheiten der Haut. Deutsche Uebersetzung von Dr. M. Bloest. Th. I. Leipzig, 1837. pag. 338.

9) l. l. pag. 212.

10) l. c. pag. 228.

nisi munditics prorsus negligitur. Neque enim unquam vero genuina favi symptomata, qualia semper deprehenduntur in capillitio, in ceteris cutis regionibus piliferis observata sunt, neque inter quindecim a favo correptos observavi.

Cutis superficies sub crustis ad favum dignoscendum ab aliis capitis eruptionibus signum exhibet maxime evidens; est enim rubra, inaequalis, rotundas lacunas vel fossulas formans. In media uniuscuiusque impressionis parte saepe punctum rubrum pili trunco perfossum et circa impressionem concavam orbis ruber uniuscuiusque crustae ambitui respondens observatur [11]). Quodsi crustam e fossula eximere velles, eam margini impressionis praecipue firmiter adhaerere, fundo autem impressionis ipsius vix insidere invenires. Inter crustas dispersas saepe in cute parvae squamulae observantur, quod cutis plerumque in torporis et atoniae conditione versatur. Cutis impressio nunquam est locus exulceratus sed tantummodo secernens. Sin autem crustae inveterascunt, si mundities extra omnem modum negligitur, ulcera vel profunda, quin etiam ossa capitis exedentia provocari possunt, ita ut aegroti serius maturiusve malo misero succumbant. Ulcera quum morbi decursu longius latiusque extendantur, qua re illam formam primariam naturalem amittunt, plura confluunt; tum nihil aliud nisi rubra et secernens planities similis terrae montuosae, qua colles vallesque promiscui variant, conspicitur.

Capilli semper sunt laxi, fragiles, parva vi extrahuntur. Pili, quamquam saepe e crustis surgunt, non semper sunt affecti. Cazenave et Schedel [12])

11) Rayer, l. c. p. 213.

12) Cazenave et Schedel p. 107.

dicunt ubi pustulae exortae sint, ibi facile pilos cum bulbis extrahi posse, et, quod ad bulbum ipsum: »Si on examine avec la loupe le cheveu ainsi arraché, on observe un gonflement, mais le reflement, de sa base, par lequel il tient au derme, n'existe plus«. De bulbi descriptione fere nihil, memoratu dignum, in auctorum scriptis invenitur. Saepissime radicem et bulbum pilorum inquisivi, utrumque aliter in crustis recentibus, aliter in inveteratis reperii. In illo primo casu plerumque radix tumefacta est, mollior quam ad normam, lucidior, pellucida vagina, quae a basi bulbi aut usque ad radicis transitum in truncum, aut usque ad bulbi transitum in radicem. In altero radix scabra, sicca aeque ac bulbus, bulbus semper irregularis, tabuitque. Meyerus[12]) in dissertatione inaugurali de tineae pathologia distinguit duas formas, quas ita depinxit: »Altero in casu extremum radicis tumido ac laxato involucro inclusum atrum loco albi conspicitur, in altero bulbus e toto tabuit, non nigricat et ad stirpem est fragilior.« Sed bulbus et radix ostendunt saepissime parvas varietates; nam bulbus modo plane irregularis modo subrotundus, modo nigrescens modo non; vagina modo bulbi basin excludens, modo includens, modo ascendens aut usque ad bulbi transitum in radicem, aut usque ad radicis transitum in truncum, aut quin etiam altius; radix magis vel minus tumet, superficie modo scabra, modo gibbosa.

Quibus locis pili dilapsi sunt, pili fere nunquam recrescunt. Sin autem recrescunt radicibus non dirutis parvae, albidae, siccae lanuginis prae se ferunt speciem Plumbe autem crines tanta copia atque vigore renatos

12) pap. 16. §. 31.

esse, quanta ante morbum in capite fuerint, sese vidisse contendit[13]). Quae observatio sola nihil valet.

Magna sane inter scriptores fuit quaestio, utrum favus pilorum bulbis, uti Ducan et Underwood[14]) demonstrare voluere, an glandulis sebaceis, uti Sauvages, Murráy[15]), fratres Mahon[16]), aliique, an uti Rayer[17]), Cooke[18]), Baudelocque[19]), folliculis piliferis, an uti Gallot[20]) telae reticulari cutis insidat. Murray his verbis usus est: »potiorem sedem in folliculis sebaceis pinguedinosis vel ipso textu celluloso quaerendam arbitror«.

Quam opinionem defendunt fratres Mahon contendentes, glandularum sebacearum inflammationem observari posse, quae inflammatio parvum rubrumque punctum in capite appareat. Glandularum sebacearum secretionem inflammatione exorta valde perturbari, quum, quod glandula aut vim contrahendi amiserit aut secretum tenacius reddatur, materia secreta effluere non possit. Nam et propter inflammationem et propter vires vitales excitatas plerumque secretionem sebi e glandulis excreti adaugeri. Accumulari igitur sebum fortasse mutatum, quod excerni non possit, in folliculo sebaceo, quibus rebus folliculus glandulae sebaceae necessario extendatur. Quam ob rem non esse admirandum, quod folliculus causa, quae eius extensionem

13) Plumbe l. l. pag. 39.

14) Underwood. On the diseases of Children, edited by Dr. Merriman. 8. London 1827. pag. 434.

15) Murray, De medendi tineas capitis ratione. Gottingen 1782. pag. 29.

16) cf. pag. 65. 17) l. l. pag. 214 et 215.

18) Cooke, W. on tinea capitis. London 1810.

19) Baudelocque. Revue médicale. Paris. Oct. 1831.

20) Gallot, Recherches sur la teigne. Paris 1805.

efficiat, perdurante melius conspici possit. Quam ad opinionem confirmandam locum favosum nihil aliud nisi glandulam sebaceam et extensam et materia favosa impletam, fratres Mahon, materiam favosam eundem colorem, quem smegma sebaceum, si accumuletur, exhibere adducunt. Quamvis et crustae favosae et materia favosa paulo diversum colorem ostendant, tamen hanc coloris varietatem e materia favosa arefacta deducendam esse. Unumquemque locum favosum, quippe qui rotundus, dilatatum glandulae ductus excretorii esse ostium; quin etiam affirmarunt, e marginis indole clare cognosci posse, hocce esse glandulae ostium, quod infundibiformis impressionis margo materiae in glandula depositae promineat atque a materia favosa bene distingui possit. Morbo per longum temporis spatium durante fieri posse, ut denique pilorum bulbi corripiantur; quam affectionem non esse primariam sed semper secundariam. Nam quod causa, quae in folliculo mutationem illam evocaverit, magnam vim in eas partes folliculis similes, cum quibus et functionibus mutuo adiuvantibus et connexu ipso folliculus sit coniunctus, habenda sit, non esse admirandum. Illae partes sunt capilli et cutis, quae a folliculo abit, vagina cum pilorum bulbo adiuncta et in unam partem tanquam connata.

Quibus ex rebus, si essent probatae, omnia favi phaenomena atque symptomata bene explicari possent. Folliculus morbo correptus, parvulum, rubrum inflammabile tuberculum, quod capillum eiusque basin circumdat, adparet. Tuberculum illud folliculum diruit, in pustulam tum abit, rumpit, parvulumque ulcus format. Quod ulcus descendit, capillorum vaginam diruit; tum bulbum aggreditur, aggressum denique diruit. Qua

ratione existunt illa subcutanea ulcera, quae quamvis raro, tamen observantur. Bulbo deleto crines dilabantur necesse est.

Sed quod favus iis locis, quibus crines, saepissime, iis autem, quibus non sunt, raro, tamen glandularum sebacearum magna copia, invenitur, multi scriptores commoti sunt, ut favum primarie glandulis sebaceis insidere dubitarent. Baudelocque atque Rayer glandularum sebacearum semper esse affectionem secundariam, neque unquam primariam. Quae opinio verisimilior esse videtur, quum ductus excretorius glandulae sebaceae aut cum aliis huius generis ductibus in communem ductum coiens in superficie epidermidis externa desinat, aut, ut plerumque fieri solet, in partem superiorem pilorum bulbi effundatur. Sin autem bulbus a morbo corripitur, ut serius demonstrabo, saepissime per consensum et connexum afficiuntur glandulae sebaceae, quae pilos nutriunt. Est enim capillorum radix tam arcte cum chorio, epidermide, praecipue sacculis sebaceis coniuncta, ut vix aegrotare possit, cute ipsa morbo non correpta. Verisimile itaque est, morbum radicum esse primarium, propterea quod a morbi initio aegrotant, pilisque extractis cutis facile sanatur. Secundum Baudelocquium materia favosa parvum, quod tuberculum dicit, nucleum formans, in folliculis piliferis, quibus exponitur, paulatim colligitur. Secretione adhuc durante nucleus ille ita adaugetur, ut folliculi piliferi materia favosa impleantur atque extendantur. Quae igitur materia in folliculorum piliferorum collum egrediatur necesse est; sed ab epidermide retinetur, ita ut egredi non possit, quum illa materia sub epidermide deponatur atque cum ea coniuncta in unum corpus arescat. In eodem gradu, quo materia favosa

secernitur propterque copiam intrinsecus truditur, eo modo folliculorum piliferorum et collum et ostium extenditur atque cum epidermide coniungitur, quum semper materia nova secreta circa veterem iamiam arefactam paulatim arescat. Quae primum conoides adparet, tum, quum adaugeatur, in corpus cylindriacum superficiem convexam exhibens mutatur, et in eodem quidem gradu, quo folliculorum piliferorum ostium maius redditur, folliculus ipse, extensus enim materia favosa, ita imminuitur atque hac ex causa folliculorum ostium eius fundo ita appropinquatur, ut folliculi piliferi plani poculi speciem praebeant. Ostium folliculorum atque folliculi ipsi, nisi cutis circumdata reprimitur vel se retrahit, extendi non possunt. Neque vero illa favosarum crustarum impressio maxime characteristica fortuita est, sed, Baudelocquio affirmante, non solum e centrali nucleo cylindraceo cum epidermide, superficie cum illo coniuncta, loco suo retento, sed etiam e materia favosa eo loco, qui et e nucleo centrali et e folliculorum piliferorum pariete epidermideque formatur, non minus ex ea causa, quod epidermis soluta paulatim subelevatur, qua re spatium, quo materia favosa retinetur, altius redditur, originem ducere clare elucet.

Quae favi symptomata ad hunc morbum dignoscendum maxime gravia eo magis evanescunt, quo maiores malum facit progressus. Simulatque enim folliculi piliferi et collo et ostio extenso in planum tamquam poculum commutati sunt, neque favosae materiae secretio desinit, crusta, sub qua semper nova materia favosa secernitur atque colligitur, intrinsecus detruditur, cutemque itaque in omnes partes premit. Epidermis circa crustam, quae detruderetur, nisi crinibus adhaerens retineretur, rumpit. Folliculo pilifero

nunc formam indolemque normalem recepto epidermideque renovata, facile esset intellectu, fore, ut loci singuli favo correpti in priorem normalem ac sanam conditionem redigerentur, nisi nova materia favosa secerneretur. Epidermide enim una tantum parte rupta crusta favosa cuti adhaeret, materia secreta intrinsecus effunditur, extenditur atque circa crustam primitivam, quae his causis multo maior et extensior redditur, arescit.

Quam ad opinionem probandam Baudelocque, quod tamen antea erat demonstrandum, epidermidem non in folliculum piliferum usque ad bulbum pili ascendere, sed prope folliculi piliferi ostium ad pilum reflecti, accepit. Sed Chevalier, Lauth, Gurlt, alii anatomiae peritissimi, epidermidem in folliculum piliferum usque ad pili bulbum ascendere, satis demonstraverunt. Rebus hisce commemoratis Rayer hancce sententiam Baudelocquianam quidem accipit, sed tamen anatomia pathologica adiuvante corrigit. Quo viro auctore materia favosa inter pilum atque inter eam epidermidis partem, quae in pili folliculum reflectitur, deponitur, neque autem sub epidermide, ut Baudelocque accipit.

Ad Rayeri opinionem melius intelligendam, verba ipsa adducere volumus: »J'admets avec M. Baudelocque que le col du follicule finit par être bouché par la matière faveuse desséchée et fortement adhérente d'une part au collet du poil, et de l'autre à l'épiderme réfléchi à l'entrée du follicule. La sécrétion du liquide faveux se faisant toujours à la surface interne du follicule de plus en plus distendu, on peut supposer que l'épiderme mince et peu extensible, qui se réfléchit dans le follicule, se rompt au-dessous de

la partie où il est intimement uni avec l'espèce de bouchon formée par la matière du favus; que cette matière s'épanche entre le derme et l'épiderme, qui se décolle, et qu'elle forme autour de ce noyau, une croûte circulaire, proéminente à sa circonférence et déprimée à son centre.

Au reste, voici ce que l'on peut facilement observer après la mort dans le favus du cuir chevelu bien charactérisé. A la face interne de la peau, on remarque des rougeurs qui correspondent aux groupes du favus, et un certain nombre de petits renflements d'un blanc jaunâtre formés par une matière solide parfaitement identique à celle des croûtes extérieures. Ces renflements pénètrent plus ou moins profondément la peau et le tissu cellulaire sous-cutané. Leur corps est renflé; et ils se terminent, du côté de la peau et du tissu cellulaire par une extrémité effilée. On voit souvent un poil sortir de ces renflements croûteux.

La présence d'un poil dans ces renflements croûteux, leur siége, leur forme et leur dimension sont autant de circonstances qui me conduisent à penser que la matière faveuse est desposée dans la cavité dilatée des conduits épidermiques des poils. Mais la forme très-effilée de l'extrémité profonde de la croûte me fait supposer que la plus grande partie de la portion de cette croûte qui est cachée dans l'épaisseur de la peau ou au-dessous d'elle, n'est pas contenue dans la cavité proprement dit du follicule pilifère.«

Quibus ex rebus expositis mihi persuasum habeo, favum folliculis sebaceis nunquam primarie insidere, sed eosdem secundarie morbo longe durante corripi, quum favus iis locis, quibus plurimae glandulae seba-

ceae inveniuntur, ferė nunquam, iis autem, crinibus obtectis, semper fere observetur. Quum favus locis imprimis crinibus obtectis invenitur, odor revera proprius, crines dilapsi, capillorum radices deletae favum capillorum morbum esse, satis ostendunt. Tum favus folliculis piliferis insidet. Quum autem epidermis in eosdem introrsus reflectatur, materia favosa inter epidermidem et bulbum colligitur, spatium hocce impletur; brevi post tempore materia illa cum epidermide et pilo coalescit, epidermidem diruit, inter illam et cutem premitur, bulbum comprimit, ut capilli nutriri non possint. Postremum bulbus ita compressus et male nutritus in media materia favosa saepius cognosci potest, nisi iam antea, quod saepe fieri solet, cum crustis remotus est.

Restat, ut nonnulla faciamus de pediculis verba. Fere omnes scriptores, in infantibus ex favo laborantibus magnam pediculorum copiam sese invenisse, memoriae tradiderunt. Afferunt enim, apud impuros ac sordidos homines, nec non apud favosos pediculos ad incredibilem adaugeri copiam, quippe qui sordibus tamquam feritili terra ad propagationem utantur. Sub epidermide quum sese insinuent, cutemque subiectam irritent, pruritum continuum ac vehementem, dolorem saepe magnum, illum foetorem urinosum, ulcera saepe pertinacia ab iis produci arbritrati sunt. Quae falsa observatio ex impetiginis granulatae vel figuratae commutatione cum favi genuini speciebus exorta est, quum inter has conditiones diagnosis difficillima sit et semper in omnibus impetiginis speciebus, imprimis apud impuros ac sordidos, innumerabilis pediculorum copia conspiciatur, liceat.

Ad morbum ipsum non pertinent; nam ubi mun-

dities diligenter atque accurate curatur, nunquam observantur. — Rebus hisce commotus pericula nonnulla, utrum pediculi in capite liberorum favo correptorum vivere possint, nec ne, institui; neque enim unquam apud favosos pediculos existere vidi. Itaque in favosorum infantium capite pediculos nonnullos deposui. Mox sese non propagare sed brevi post tempore mori admiratione vidi. Attamen mihi non satis declarare possum, quibus ex causis moriantur. Estne foedus odor? Nonne aut sanguis favosus iis inimicus aut crinibus dilapsis domicilio careant? Nescio quae causa sit vera, sed factum verum.

CAPUT TERTIUM.

De Favi diagnosi a nonnullis aliis capitis eruptionibus.

Nullo cum morbo favus facilius commutari potest, quam cum impetigine figurata, si quidem haec in capite, quod saepe accidit, invenitur. Impetigo, dum erumpit, veras exhibet pustulas in cute inflammata, quae multo maiores locis favo correptis sunt, atque subter epidermidem surgentes crustas formant, quae in medio crassae et convexae, ad marginem tenues sunt: contrariae omnino favi crustis, atque colorem cinereo-flavum exhibent. Quodsi impetiginis crustas emollis, lacunas illas faviformes, subflava substantia mellea impletas, quas favus habet, non reperies, sed

uberam puris secretionem celeriter in crustas mutatam. In impetigine nunquam bulbi capillorum aegrotant, odor in utroque quam maxime diversus; impetigo nihil olet, favus urinam felinam, vel, ut alii volunt, murinam. Cataplasmatis applicatis crustisque emollitis foetor magis rancidus atque cadaverosus est. Disquisitio crustarum accuratior diagnosin planius etiam confirmabit. Attamen crustas vetustas exsiccatasque vel cataplasmatis emollitas disquisitioni subiicere non licet; sed si eventum sincerum incorruptúmque poscis, hinc in modum agendum est. Emollientia cataplasmata adhibeas, usque dum crustae omnes sunt solutae; tum caput aqua saponaria abluendum cures; quibus rebus adhibitis apud fafosos pura, laevis, rubraque planities conspicitur. Paucis diebus post parvas flavasque particulas conspicies, quae haud prominent, sed tamquam partes massae cuiusdam pellucidae in capitis cute circumclusae apparent. Viginti quatuor circiter horis post haec loca firma reperientur, in medio lacunosa, colore subflavo vel sulphureo, in medio saepenumero capillum continent et formam denique ulcerationum faviformium vel infundibiliformium exhibent. Quae lacunae materia sicca, conteribili, casearia expletae sunt. Simulatque eae, quae videntur, ulcerationes eo pervenerunt, materia illa caseo similis, conteribilis, celerrime adaugetur, colorem flavum sensim sensimque in colorem e cinereo album immutat atque saepe tanta ipsius copia coacervatur, ut mortarii fragmentorum, quae inter capillos insident, similitudinem prae se ferat. Crusta caute remota nullus locus exulceratus remanet, sed rubra planities, quae, »ulcerationis« significationem tam parum esse idoneam, quam denominationem »pustularum formationis«, demonstrat. Quo-

rum neutrum est; sed materiam, a loco morbose mutato, nec tamen ulcerato secerni, manifesto conspici potest.

Restat, ut pauca de capitis eczematis varietatibus dicamus, quippe quae cum aliis capitis eruptionibus facile confundi possunt. Adducamus illas tantum species, quas Alibert »Tineam amiantaceam et furfuraceam« nominat, quae revera nihil aliud nisi Eczema chronicum sunt. Semper adest secretio humida e cute epidermide nudata; quibus rebus crines et squamulae ita conglutinantur, ut caput galea quasi albida obtectum sit. Singuli pilorum fasciculi asbesto sive amianto sunt similes, unde nomen »Tinea amiantacea sive asbestina.« Ubi sola desquamatio adest, et crustae faciliores decidunt, existit altera species »Tinea furfuracea.« In eczemate cute inflammata, dolorosa vesiculae, quae post aliquot dies rumpunt et tum evacuant viscidum, largum clarumque fluidum, observantur. Pruritus magnus. Sub crustis cutis ruberrima, perpetuo secernens. Fere nunquam cum morbo graviore constitutionali coniunctum, saepissime saluberrimum est; quin etiam Rayer, liberos ex eczemate laborantes dentitionis tempore raro convulsionibus, diarrhoea, hydrocephalo acuto affici, contendit. Neque radices capillorum in eczemate morbo correpti, neque crines dilabuntur.

In favo contra nec pustulae, nec vesiculae, neque squamulae, sed primum parvum, luteum punctum, supra cutis superficiem non eminens, observantur. Quod punctum paulatim crescens illam propriam formam induit. Crustae sunt rotundae, in medio concavae, flavae, profundae (enfoncées dans la peau), pilorum trunco perforatae, circuito cutis rubescente

circumcinctae. Crines semper dilabuntur, neque unquam recrescunt, quia radices capillorum destructae sunt. Eczema saepissime in infantibus, mammas sugentibus observatur; favus plerumqne in infantibus natu maioribus, etiam in adultis. Favus vix sanabilis, eczema facile sanari potest.

CAPUT QUARTUM.

De Favi observationibus microscopicis.

Disciplina illa microscopica, quum iusto modo tractetur, quamquam laudanda atque semper commendanda, tamen hucusque arti medicae practicae parvam attulit utilitatem. In posterum fortasse nostrae scientiae fructum feret. Favi diagnosi omnes microscopicae observationes nihil fere profuerunt. Microscopia iam in pueritia versatur.

Schoenlein, ille vir celeberrimus, et Dr. Gruby[1]) ante paucos annos observationes quasdam de structura favi microscopica satis graves et memorandas in lucem ediderunt, quae si omnino essent tales, quales tradiderunt, certe sufficerent, ut varia illa symptomata atque phaenomena, quae in favo deprehenduntur, recte explanarent. Quibus tamen observationibus, quippe quae nova prorsus suppeditare deberent, magna imaginandi subest vis atque fallacia optica. Nam opticas fallacias,

1) Cf. Einige Bemerkungen über die Tuberkelnatur des ächten Favus, von Dr. J. N. Neukrantz; in Dr. Fr. J. Behrend's Archiv für Syphilis und Hautkrankheiten. 1. Bd. 3. Hft. p. 321.

partim sine ira ac studio, partim ex amore atque desiderio nova inveniendi exortas, partim quod observationes iterum iterumque non repetitae sunt, maxime esse frequentes, quisque bene scit. Disquisitione autem crustarum favi accuratiore earumque cum impetiginis crustis comparatione expertum habemus, impetiginis crustas magis esse materiam amorpham, in favi crustis vero crebrius fila tenuissima atque corpuscula conspici; attamen nihil habemus, cur fila, quippe quae sint fila, necessario thallorum fila, corpusculaque illa, horum fructus, esse, arbitremur. Etiamsi similitudo quaedam horum filorum cum fungis exiguis aggregatis intercedat, hacce tamen re vegetabilis filorum indoles nequaquam probatur. Constat enim, formationes animalium maxime simplices pariter atque in mycodermo, ut opinantur, consistere e cellularum serie, quae vario modo inter se cohaereant. Ideoque est magna quaestio, utrum malum ex ipsis epidermidis cellulis sacculorum bulborum, favo correptis, an ex iis corpusculis et sebo, quae sacculis bulborum secernuntur, originem ducat. Recte quidem Dr. Carpenter in physiologiae elementis monet: »Suppositum est, favi organisationem esse vegetabilem, quoniam mycodermus e magno cellularum parvarum numero consistat, quae eo tantum, quod copiam ipsarum adaugeant, semetipsae latius extendere possint. Notes tamen, vesicularum vel corpusculorum formationem tum animalibus quum plantis esse communem, quippe quae corpuscula formae primitivae uniuscuiusque substantiae organicae sint, nisi ad peculiarem quendam finem sint permutatae. Mihi quidem videtur haud satis argumentis firmari posse, favum vel alium morbum similem procreari planta parasitica intra corpus vivum exorta atque diffusa. Ex

iis, quae ipse observavi, nequaquam mihi persuaderi potest, mycrophytum esse favi fontem. Sub mycroscopio res trecenties maiores reddente in favi crustis fila quidem conspiciuntur, quorum alia articulata, alia nodosa, alia ramosa, alia racemosa apparent, attamen tantopere irregularia atque perturbata, tantopere crustarum corpusculis, vesiculis et epidermidis fragmentis intermixta, ut totam massam nihil aliud nisi massam amorpham habere possimus. Nam et magna imaginandi vi et prompto facilique animo est opus, ut in hac materia plantulas regulariter constructas conspiciamus. Huc accedit, ut, quum in infantibus ex favo laborantibus crustas omnes omnino emollivcrimus atque locus favo correptus iterum materia favosa impleatur, in recenti favi massa ante crustam formatam sub microscopio nihil aliud nisi materia quaedam, quae oculis eadem fere ac tuberculorum materia appareat, conspiciatur. Ex quibus vero argumentis manifesto concludendum esset, ut, si revera in favi crustis plantulae microscopicae gignerentur, haecce minime ad naturam favi ipsam pertinerent sed postea demum favi materia arefacta et in crustas mutata accesissent. Tum quidem hunc fere in modum res esset diiudicanda, mycrophytorum semina extrinsecus in locis materia favosa stercoratis deponi atque excoli, quemadmodum ex ovis in vulneribus inveteratis depositis fortuito muscarum larvae nascuntur. Nam si omnes conditiones, quibus plantulae cryptogamicae oriuntur, contemplatus eris, materias omnes organicas putridas, quae aëri et calori obiecta atque motu vacua sunt, tales plantulas cryptogamicas gignere, reperiemus. Considerato fimo et stercore vaseque atramento impleto, quo diu non usi sumus, id satis clareque elucet. Nam substantiae

sordidae extrinsecus in caput subductae, quae facillime fermentantur atque putrefiunt, quum neque pectinibus neque scopis setaceis neque aliis rebus, quibus sese mundent, liberi favo infecti usi sint, calore, aëre quieteque in putrescendo faventur. Quód ut mihi esset perspectum, locum quendam favosum, crusta antea emollita atque remota, locoque ipso rubro atque puro facto, obduxi duplicato emplastro anglico latius prominente, ut undique aër a loco favoso arceretur. Emplastrum prius non sustuli, quam recentem favi materiam secretam in crustam favosam transiisse opinatus sum. Revera emplastro illo sublato crustam catino similem reperii, a crusta favosa, qualis esse solet, plane non abhorrentem, quae aliquantulum tamen solito magis flava apparuit. Qua crusta sublata atque soluta omnes eius partes sub microscopio disquisivi; fila quidem parva, vesiculas, corpuscula arefacta atque massas amorphicas, sparsim iacentia, deprehendi; haudquaquam sane tamen habeo, cur illa fila corpusculaque veras esse plantulas cryptoyamicas opiner. Persuasum contra habeo, parasiticam in crusta favosa vegetationem, si quidem adest, id quod valde in dubium vocatur, ad ipsam morbi naturam minime spectare, sed ad summum materiam favosam iam depositam praebuisse fundum ad semina plantarum recipienda satis opportunum, quae extrinsecus deposita tales evadunt plantulae, quales Schoenlein et Dr. Gruby sese vidisse contendunt.

Operae igitur magnum pretium erit ad observationes Schoenleinianas et Grubyanas diiudicandas inquirere, annon materia ipsa favosa, quum celerrime arescat, eiusmodi sporidia, thallos, ramificationes lineares, quales illi viri descripserunt, conformet. Recentem

itaque materiam favosam neque tamen crustam favosam exemi, parva aquae destillatae copia commiscui, laminae vitreae imposui et copiosam crassamque induxi. Laminam tuli in cubiculum calefactum, ubi aegrota erat, de qua materiam favosam depromseram. Nonnullis diebus post materiam favosam arefactam caute de lamina vitrea sustuli, aqua liquefeci, liquefactam microscopio subieci. Vehementer sum obstupefactus; eandem enim mixturam et compositionem fribillarum, linearum, corpusculorum fragmentorumque amorphicorum, qualis inest massae recenter e capite aegroti favo laborantis, desumptae deprehendi. Quae si posteris observationibus probata forent, inde ex ea re, fila illa arborescentia fructusque ferentia, thallos, cellularum nucleos reliquaque, quae Schoenlein atque Dr. Gruby se conspexisse arbitrantur, nihil esse, nisi id quod materia animalis exsiccata procreavit, plane eluceret. Idem hinc elucet, quod dispositio chemica edocuit, materiam favosam, si elementa respicere velis, sebo cutis potius quam formationi vegetabili convenisse. Disquisitione enim chemica instituta Wackenroder[2]) favi crustas ex albumine coagulato cum minimá pinguis copia coniuncto, tum e Calcariae atque Magnesiae phosphoricae cum Natri muriatici vestigiis aliquantulis consistere invenit. Revera, si elementa respicis, nullum inter favi et variolarum crustas discrimen est, in quibus inquirendis Lassaigne idem se invenisse contendit. Secundum Thenard[3]) 100 partes continent:

70 partes albuminis
17 partes gelatinae
5 part. Calcariae phosphoricae
8 part. aquae et quae restant.

2) Neue Jahrbücher für Chemie und Pharmacie. Band VIII. S. 72.
3) cf. P. Rayer. pg 213.

Sed disquisitiones chemicae, quod **Meissner**[4]) quoque contendit, quum chemica ex analysi pathogenia favi eiusque causae nondum satis inquisitae nullam hucusque ceperint utilitatem, quid iuvant? Quibus ex rebus iam expositis, observationes illas et Schoenleinianas et Grubyanas, quae vegetabilem favi crustarum formationem demonstrent, nequaquam esse probatas, mihi perspicuum esse videtur; quam porro formationem vegetabilem, si posteriori tempore conspiciamus, non esse primariam, sed secundariam, minimeque ad favi naturam genuinam pertinere, hinc liquet. Neque e favi crustis, quum tales, quales impetiginis figuratae et eczematis capitis crustae, massae sint amorphicae, ullum ad favum dignoscendum signum pathognomicum petendum esse arbitror. — Sed multa optanda ad favi penitiorem et accuratiorem structuram spectantia restant exploranda, quae in lucem proferant indagatores et observatores intelligentiores doctioresque.

CAPUT QUINTUM.

De Favi contagione.

Quamquam pauca quidem, sed gravia, contra favi per contagionem propagationem argumenta afferi posse inter omnes constat, tamen magnam adhuc vis contagiosae suspicionem relinqui haud dubium est. Si enim iis, ab omnibus fere auctoribus repetitis, novisque exemplis adiectis probatis atque confirmatis rebus, fides habetur, favum esse contagiosum, qui neget, nemo erit.

4) Die Kinderkrankheiten. 2. Theil. pg. 360.

Favi vim inficiendi Rayer [1]) signum princeps affert (le favus est une inflammation cutanée chronique, essentiellement contagieuse etc.) exemplumque, quo mulierem quandam, quum infantem favo correptum in brachio portasset, morbum huncce sibi contraxisse confirmatur, enarrat [2]).

Fratres Mahon [3]), vel semetipsos favo esse infectos, memoriae prodiderunt, propterea quod obligatis quibusdam favosis digitos manusque non satis diligenter lavissent. Alibert [4]) medicum quendam, quem magni aestimabat, mulieri cuidam id ipsum contigisse, sibi narrasse refert, quum pueri sui caput aliquantum temporis infuso emollienti purgasset; quid? quod eundem puerum duas sorores secum plerumque conversantes favo infecisse addidit. Willan et Bateman, quinquaginta, qui eodem loco erudiebantur, liberos ea ex re favo esse infectos, quod singuli eodem pectine pecterentur, litteris tradiderunt. Cazenave et Schedel [5]) morbum nostrum definiunt tanquam eruptionem contagiosam psydraciarum pustularum. Recte Meissner »Tinea capitis maligna, inquit, certissime morbis contagiosis est adnumeranda, praecipue, si contagio liber sordidus ac male nutritus exponitur.«

Quamquam magnam sane fidem illis celeberrimis auctoribus habere debemus, tamen facere non possumus, quin nonulla, quae gravia nobis videantur, obiiciamus. Saepe enim diversis rationibus diversissimisque locis non solum infantibus favo correptis, verum etiam sanis favum inserere tentavi. At saepissime ne

1) l. c. p. 212.
2) l. c. p. 215.
3) Recherches sur le siége de la nature des teignes. Paris 1829.
4) l. l. p. 136.
5) l. l. p. 105.

minimum quidem hac ex re efficiebatur; interdum cutis inflammabatur, quae inflammatio aut brevi post tempore plane evanescebat, aut in pus abibat, quod, cuti etsi leviter stringenda vel aliena re in cutem inducta, non raro efficiebatur. Crustula, quae interdum formabatur, minime favi crustis similis, nec flava nec rotunda, neque in medio impressa, neque odore felino fuit. Quae vero pericula, si bonum habeant eventum, dispositionem fortasse hereditariam vel insitionem in folliculum piliferum requirunt. Quod ad insitionem Rayer[6]: »Je dois ajouter, inquit, qu'il en est de la contagion du favus, comme de celle de plusieurs autres maladies transmissibles par contact ou inoculation; l'application des croûtes du favus sur la peau n'entraîne pas constamment l'inoculation de cette d'égoûtante éruption«.

Ad explorandum porro, utrum favus sit contagiosus, nec ne, Dr. Gruby quoque pericula quaedam, quae tamen nullum successum habuerunt, instituit. Quibus causis commotus, favum non esse contagiosum, opinatur. Dr Corrigan, quum illas vegetabiles formationes cryptogamicas vidisset in favi crustis, easque vel in mure domestico reperisset, a muribus in homines hanc eruptionem delatam esse censuit, quod favus oleat urinam murinam. Est iocosius, atque ineptius quam sagacius[7]).

Quibus argumentis adlatis repugnat publica sententia. Nam si puerum quaeris, unde favosus, tibi respondet, ex commilitonis contactu, quum scholas publicas sani cum favosis intermixti frequentent. Saepissime in scholis audivi, pueros, ea ex re, quod iuxta fa-

---

1) London Medical Times. Nro. 310. August 1845.

vosum sederent, morbo hoc diro infectos sese opinari. Sed amore sui ipsorum commoti aut parentes aut aegroti malum nobis maxime fastidiosum ex contagio contractum velint. Omnia, quae scriptores de hac re disserentes protulerunt, si bene perpendimus atque breviter complectimur, contagium favosum non tam vehemens esse, qualia aliorum morborum contagia, et facilius a corpore sano refutari, experientia probatum invenimus, praeterea etiam, favum ex contactu ipso inficere posse. Si quid deinde ex aegrotorum cura per multos annos gesta atque e fidelibus observationibus nec non ex iis, quae de aegrotis memoriae atque litteris proditae sunt, si quid ex hisce rebus conficere mihi licuerit, tenui victu, fame, inopia, aqua ad bibendum minime apta aliisque multis hominibus rebus noxiis favum longe lateque diffundi contendere nunquam dubitabo. Neque minus, quam ex rebus, quas modo dixi, ex aëre perdito putredineque corrupta hic morbus gignitur horribilis, ita ut priores favum cum lepra horrida comparare solerent. Quae verba, quam vere dicta omnibus iis, qui cutem non solum corporis tegendi, verum etiam secernendi, spiritum ducendi nutriendique esse organon, bene sciant, perspicuum esse oportet.

CAPUT SEXTUM.

De Favi causis quaedam *).

Qua in re disserenda prae omnibus favi et ori-

*) cf. Piutti: über die scrofulösen Hautkrankheiten Gotha 1836. pg. 23. Blasius: über Tinea capitis; in Rusts Handbuch der Chirurgie Band XV. Berlin 1835. pg. 223.

ginem et causas profecto non satis explicatas et ad liquidum esse perductas fateamur oportet. Quot enim sunt, qui de eius causis scripsere, tot sunt variae causarum opiniones. Nam singuli scriptores omnia ad favi causas pertinentia adeo confuderunt, ut ad veras causas cognoscendas difficile sit. Sic veteres, auctore Petro Frankio, ut ubique, in achorum favorumque explicatione ad bilem, recentiores ad mucosos, acidos acresve humores pro saeculi more confugerunt; sed quo doctius atque subtilius in hac exploranda re ratiocinati sunt, eo minus rei ipsi profuerunt, quum observationes ad lectum aegrotorum non fecissent, sed opiniones e ratione tantum composuissent. Ad favi veras causas recte inquirendas et omnes externae conditiones et vitae ratio infantium vel adultorum favo correptorum considerentur et bene perpendantur, prae omnibus omnino necesse est. Semper fere favus invenitur apud pauperes atque plerumque apud Israelitas inferiore conditione, qui in squalore quasi sempiterno sibi placent. Nam omnia nocentia, quae, ut oriantur, procedant atque perficiantur morbi, plurimum momenti afferant, apud infimae potissimum conditionis homines plus minusve coniuncta inveniri, quisque intelligit. Consideres obiter externas horum hominum conditiones; victum, quo vulgo fruuntur; udas, parvas, frigidas opacas tabernas, in quibus vitam degere, inopia coacti sunt; aërem, in quo spiritum, tam multis saepe hominibus in uno eodemque spatio angustissimo consociatis et accumulatis pessimum corruptissimumque, ducunt; frigus tempore hiemali, tum, si haec omnia bene consideraveris, facile intelliges, digestionis organorum vires brevi tempore quam maxime debilitari, ita ut tales homines imprimis

prae omnibus infantes mala concoctione indeque mala nutritione peccare necesse sit. Quibus rebus laudatis corporis irritabilitas adaugetur, sanguis corrumpitur, ita ut quaeque necessaria fortiter resistendi in nocentia corporisque immunis servandi potestas deficiat. Oriuntur semper ex hisce rebus allatis scrofulae, illa hominum pestis perniciosissima atque cruciatus. Quod, infantes praecipue a favo corripi, e constitutione lymphatica sive scrofulosa laborantes, medici semper observarunt. Quamobrem scrofulosin, quae talis digestionis organorum debilitas exoriatur semper necesse est, favi causis admumerandam esse nunquam dubitavi, pluresque infantes favo correptos, qui manifesta scrofulosis signa prae se ferebant, videndi saepius occasionem habui. Quae omnia hic dicta, quamquam ad favum oriendum multum valent, unícae causae non sunt. Nam quam multi divites fortunati, qui, quamvis scrofulosi, tamen non ex favo, aeque ac pauperes miserrimi, laborant? Nonne quod accurate et diligenter non solum caput, verum etiam saepissime totum corpus mundant? Ex sebo cutaneo copiosius secreto et ob immunditiem in cute retento oriuntur sordes, quibus cutis tegmine sebaceo in putredinem abeunte irritatur; cutis diutius neglecta mundatione, sin autem nulli morbi cutanei erumpant, in torporem tamen incidit et cutis transpiratio ad corpus integrum servandum tam utilis ac necessaria ita redditur difficilis et tantopere turbatur, ut necessario morbi cutanei iique vehementissimi maximeque pertinaces oriantur. Tales cutis morbi sunt favus, lepra, psoriasis. In favo semper vides talem cutis torporem, colore pallido saepissimeque livido, cutis rigore ac frigore, cum et secretione et sensibilitate imminuta coniuncto, se

manifestantem. Qui torpor quantum conferat ad totum corpus debilitandum et ad morbos quam plurimos provocandos quantumque impedimenti afferat sanando favo, omnibus profecto perspicuum erit. Quamobrem quantum usus linteorum saepius mutatorum atque mundities ad favum profligandum attulerit, nemo est, qui nesciat. Veteres itaque calidis balneis vetustum ablientes unguinosum corporis tegmentum et deinde unguentis iterum illinientis corpus multo melius sibi consulebant, quam nostrae aetatis homines, qui vel non abluuntur vel post balneum calidum aëri emollitam exponunt cutem, tegmine oleoso nunquam adhibito. Immunditiem solam, sic plerique scriptores voluere, favum non procreare posse, ex eo satis elucet, quod favus apud homines ad cutem abluendam et purgandam maximam curam summamque diligentiam navantes, non raro observetur; tum quam multi, qui raro cutem lavant ideoque in perpetua sorde vitam degant nunquam a favo corripiuntur? Sed omnes scriptores immunditiem humidas tabernas, malum victum ad favum extendendum et propagandam multum valere, sanationemque difficilliorem reddere, uno tenore consentiunt. Et summo cum iure Meissner [1]: »Sordes et squalor, inquit, sunt mater tineae malignae. Attamen si infantes favo correptos exploramus, omnes fere signa scrofulosa plane exhibére inveniemus. Quibus rebus commotus multi scriptores vel gravissimi favum non solum scrofulosis signum, sed etiam signum scrofularum exorientium pathognomicum dixerunt. Argumentum optimum quam arcte favus cum scrofulosis sit coniunctus, ex ea re mihi liquere vi-

1) Meissner, Forschungen des 19. Jahrhunderts. 3. Th. pg. 360.

detur, quod glandulae lymphaticae et conglomeratae, simulatque favi secretio remediis externis adstringentibus supprimatur, statim intumescere incipiant. Quae glandulae tumentes statim evanescent, simul ac favus in capite apparuerit. Si deinde favum sanare volumus, nulla, nisi cachexia scrofulosa plane extincta est, remedia ne minimum quidem iuvant.

Uti scrofulosis favus quoque est morbus hereditarius. Nam omnes liberos eiusdem familiae favosos vidi matre sive patre favo laborante; interdum nonnullos, interdum ex tota familia unicum. Alibert hominem septuaginta annos natum favo affectum, cuius duos filios, etsi iam adultos, a partu in eundem incidisse morbum, sese vidisse enarrat. Fere omnes aegroti, quos vidi, a partu favo erant correpti, sed tamen plurimi parentes sive liberi morbum ex contagio sibi contraxisse volunt.

Omnibus rebus bene intellectis atque perpensis veram favi causam et in scrofulosi et in externis vitae pessimis conditionibus, et in dispositione hereditaria quaerendam esse arbitror.

CAPUT SEPTIMUM.

De Favo correptorum sanguine nonnulla.

Revera tum ad favi naturam penitus indagandam, quum ad et argumentis et ratione stabilitas eius curandi sanandique proponendas indicationes prae omni-

bus omnino necesse fuit, ut favo affectorum sanguis accuratissime disquireretur. Attamen de favo laborantium sanguinis compositione fere nihil scimus, quamobrem plerique fere favi sanandi difficultatis pertaesi hanc operam laboremque vetulis atque iatraliptis committere debuerunt. Aeque in aliis morbis sanguinis, dyscrasiae dictis, chemica sanguinis disquisitio novam semper lucem in nostram scientiam emisit, ac favosorum sanguinem disquirere favi cognitioni magnam ferri utilitatem credidi. Quae disquisivi, tam manca et parva sunt, ut non disquisitiones sed pericula tantum habenda esse arbitrer. Raro enim tanta sanguinis copia, quanta ad analysin instituendam necessaria, ex infantibus accipi potest, quippe quibus raro vena secatur. Quamobrem fere adultorum sanguis, qui eam ad artis nostrae commodum dabant, disquireretur necesse fuit. Methodo, quam Rodier et Becquerel adhibuerunt, usus sum. Antequam analyses ipsas proferam, brevissime morbi historiam adiicere in animo habeo.

Casus primus.

K. Sp., puella rustica, sedecim annos nata, bene nutrita atque conformata. Pater quinquaginta annos natus, semper, quantum meminerit, bona valetudine se gavisum esse, narrat. Cicatrices in collo, scrofulis affectum esse, satis demonstrant. Matrem debilem ante duos annos phthisi mortuam. Fratrem simile capitis affectione correptum, quae acri unguento quodam adhibito subito depulsa esset, mox cerebri affectione extinctum. Duas sorores favo quoque correptas. Aegrotam ex partu favosam. Capitis partes crinitae crustis flavis, in medio concavis, rotundis obtectae sunt.

Capilli nigri, omnes fere dilapsi, facile extrahuntur, breviores crinibus normalibus, nonnullas lineas supra cutem eminent. Crinis radix est tumefacta, superficie aspera atque emollita, bulbus non rotundus sed compressus, nigrescens, vagina pellucida, tenuis, ascendit usque ad radicis transitum in truncum, saepe altius. Crustis remotis nihil nisi fossas concavas, quae mox materia favosa implentur, conspicis.

Aegrota balneis e sale Crucenacense paratis et oleo iecoris aselli usa est; cataplasmatis adhibitis omnes crustae remotae. In capite omni vespere unguentum e sulphure iodato inungitur. Quae cura, per sex menses continuata, bonum habebat eventum, quo sperari potest, fore, ut puella mox plane convalescat. — Die Februarii huius anni quarto vena secata. Sanguis in filo tenuissimo fluxit; quatuor unciae acceptae sunt.

1000 partes sanguinis continent

substantiae solidae	191,275.
aquae	808,725.

In 191,275 partibus substantiae solidae erant:

fibrinae	3,238.
corpusculorum	102,596.
albuminis	79,551.
extracti aquosi et salium . . .	5,124.
pinguium	0,766.

In mille seri partibus erant

substantiae solidae	74,653.
aquae	925,347.

Casus secundus.

H. A. S., puella duodecim annos nata, statura gracili et, quod ad aetatem, parva, facie pallida, labio

superiore crasso, otorrhoea auris dextrae scrofulosa, atque ex inde in hac aure surdastra, laborans. Abdomen densum ac durum. Patrem matremque ante plures annos amisit. Mater, favo quoque laborans, ita ut tota capite crassis crustis obtecto decalvans esset, pulmonum phthisi demortua est. Pater nunquam capitis eruptione laboravit. Aegrota habet tres sorores, sanas, unumque fratrem, qui etiam favo laborat. Frater natu multo maior per quinque annos favo affectus, magnam capillorum partem amisit. Tum restitutus a medico, quibus remediis nescivit, ex hoc tempore bona valetudine gavisus est; sed capilli, quamquam recreverunt multis locis, quibus verisimile pilorum bulbi non erant destructi, tamen sunt parvi et tenues. Aegrota ex quatuor annos favo loborat Favus invenitur nonnullis locis in regione temporali atque parietali. Crustae parvae, tenues, flavae, in medio concavae.

Per longum tempus interne remedia antiscrofulosa, ut Ol. iecoris aselli et Ext. Folior. Iugland. a mense Augusti usque ad hoc tempus adhibita sunt. Fluor ex aure plane evanuit, labium superius amisit et illam crassitiem et ruborem, nonnullique loci, qui favo non liberati sunt, restant. — Die XXVI Ianuarii 1847 sanguis e vena missa est; tres tantum unciae.

1000 sanguinis partes continent

substantiae solidae	186,461.
aquae	813,539.
fibrinae	1,536.
corpusculorum	100,635.
albuminis	81,461.
extracti aquosi, saliumque . . .	3,230.
pinguium	0,589.

Si has analyses cum iis, quos Rodier et Becquerel e sanarum mulierum disquisitione sanguinis instituta conferimus, magnum discrimen animadvertes. Rodier et Becquerel invenerunt in 1000 sanguinis partes

substantiae solidae	108,9.
aquae	791,1.
fibrinae	2,2.
corpusculorum	127,2.
albuminis	70,5.
extracti aquosi, saliumque . . .	7,4.
pinguium	1,62.

Si hos numeros cum procedentibus ex analysibus repertis comparamus, haec inveniemus: favo correptorum sanguinem minus fibrinae, minus sanguinis corpusculorum, multo magis albuminis continere.

VITA

HENRICI SCHLECHT.

Natus sum die VI. mens. Novemb. anni MDCCCXXII. pago Weidesheim, prope oppidum Euskirchen sito, parentibus Guilelmo Henrico Schlecht et Anna Christina Schnitzler, quam iam dudum mortuam esse doleo. Fidei sum addictus Catholicae Romanae. Primis litterarum elementis domi imbutus gymnasium Monasterii ad Eifliam adii. Quo bene relicto gymnasium, quod Aquisgranis directore Dr. Schoen, viro humanissimo atque clarissimo, floret, per fere duos annos frequentavi. Neque unquam memoria directoris Dr. Schoen propter benevolentiam, humanitatem, qua omnes discipulos amplectitur, paternamque erga me amicitiam ex animo pietatis pleno mihi evadet. Testimonio deinde maturitatis instructus sub finem mensis Octobris MDCCCXLII. Bonnam me contuli, ibique a Rectore t. t. Magnifico Naumann in numerum civium academicorum receptus apud cl. Mayer, gratiosi medicorum ordinis t. t. Decanum Spectatissimum, nomen dedi.

Bonnae per novem semestria his interfui praelectionibus philosophicis: Logicae et psychologiae apud cl. van Calker; physicae experimentali apud cl. Plücker; botanicae universali, ordinibus plantarum naturalibus, botanicis excursionibus apud cl. Treviranus; zoologiae et historiae mammalium naturali

apud cl. Goldfuss; mineralogiae apud cl. Nöggerath; chemiae experimentali Phytochemiae, Zoochemiae apud cl. G. Bischof.

Praelectiones medicae sunt hae: Anatomia generalis et specialis apud cl. Mayer et Weber; Physiologia, observationes microscopiae apud cl. Budge; encyclopaedia et methodologia artis medicae, pathologia et generalis et specialis apud cl. Naumann; materia medica, ars formulas medicas concinandi, morbi venerei apud cl. Albers; therapia generalis pathologia et therapia specialis, morbi animi apud cl. Nasse; toxicologia, doctrina de ossium fracturis et luxationibus apud cl. Brach; ars obstetricia, doctrina de instrumentis obstetriciis, Chirurgia, morbi et infantium et mulierum apud cl. Kilian; doctrina de operationibus chirurgicis, de instrumentis et machinis chirurgicis, de fasciis ligandis apud cl. Wutzer; medicina forensis apud cl. E. Bischoff; politia medica apud cl. Harless.

In exercitationibus practicis mihi duces fuere:

In arte cadavera secandi cl. Mayer et Weber; in clinico propaedeutico et therapeutico cl. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico, in operationibus in cadavere humano instituendis cl. Wutzer; in clinico obstetricio et in exercitationibus ad phantoma obstetriciis cl. Kilian.

Quibus omnibus viris optime de meritis debitas gratias habeo semperque habebo; imprimis praeceptori dilectissimo Nasse, qui mihi in clinico medico assistentis munere fungenti egregiam semper praestitit benevolentiam.

Quadriennio academico absoluto tentamineque philosophico et examine rigoroso exantlato per fere tres menses Confluentiae chirurgus voluntarius duce cl. Dr. Knipfer merui.

THESES.

1. *Docimasia pulmonum non sufficit ad infanticidium dignoscendum.*
2. *Operatio cavernarum tuberculosarum omnino reiicienda.*
3. *Tartarus stibiatus non est remedium antiphlogisticum.*
4. *Symphysiotomia est repudianda.*
5. *Placenta remanens diutius quam per duas horas post partum, semper statimque removenda.*
6. *Cura symptomatica medico licet.*
7. *Antylli aneurysma operandi methodus multo praestantior, quam Hunteri atque omnium aliorum.*